



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

De amore inordinato, Cap. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

hostes nostri acerrimi sint, qui capitali nos odio inuestantur.

*Vanitas &  
breuitas sen-  
sualitatis.*

TERTIVS est; Animo reuolue-  
re, foeditatem, vanitatem & breui-  
tatem harum sensualitatum: Qui  
sopno indulget similis est homini  
mortuo: Qui cibum capit, humores  
& spurcicias corpori subministrat:  
Qui voluptatem ex aliorum sermo-  
nibus, risibus, & iocis haurit, nihil  
aliud agit quam quod in re vanissi-  
ma & fugacissima, quæ momento  
temporis præterit, & celerrimè  
transiolat, delectationem quærit.

*De amore inordinato,  
Macula IV.*

CAPVT V.

*Marc. 12.*

*Amor Dei  
& amor  
mundi con-  
trarij sibi  
sunt.  
Iacob. 4.*

DILIGES Dominum DEVM tuum,  
ex toto corde tuo, & ex tota anima  
tua, ex tota mente tua, & ex tota virtute  
tua, ait Dominus & saluator noster  
IESVS Christus. E diametro repu-  
gnant, Anima, amor Dei & amor  
mundi, vsque adeò vt Apostolus af-  
firmet: *Qui voluerit esse amicus huius se-  
culi: inimicus DEI constituitur.* Et Chri-  
stus

Itus dicat: *Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diligit, aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Atque idcirco, ô Anima, IESU Christi creatura, filia & sponsa, si sponso tuo placere cupis, necessarium est ut omni alieno amori moriaris: & abrenuncies. Illa enim sponsa quæ alium præter sponsum diligit, adultera est, & à sponso repudiatur, sæpenumero etiam propter fidem violatam occiditur.

Matth. 6.

*Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio: ait sponsus ad sponsam in Cantico.* Quare anima, si à sponso tuo vicissim diligi & eo perfrui desideras, omnem peregrinum & aduentitium amorem è corde tuo profliga & exclude, atque cor tuum in sinum formosissimi, & gratiarum pleni sponsi tui totum effunde.

Cant. 8.

Anima sp̄s  
s̄o placere  
volens, om  
nem à se a-  
lium amor  
abijciat.

TRES autem speciatim, amoris inordinati species reperire licet, quæ animæ, IESU Christi sponsæ, foedas maculas inurunt. Amor nimirum mundi, naturalis, & acquisitus.

Tres amo-  
rum specie

*I. Amor  
mundi.*

Amor mundi est: cū homo nimiam ad mundum affectionem gerit, ei placere quærit, & desiderat: plurimumque metuit, ne quando ei displiceat; unde fit, vt hoc timore, ne mundo displiceat impulsus, aut certè desiderio ei placendi stimulatus, multa Deo contraria committat: Et si aliquando propter amorem Dei præclarum, ac laudabile quidpiam gerat, hoc ipsum mundo etiam innotescere cupit, vt aliquā inde gloriam, honorem, & commodum referat; sicque non paucis sese criminibus obstringit, multaque bona quæ facturus fuerat, propter mundi amorem, omittit.

*II. Amor  
naturalis.*

Amor naturalis est: quo homo se ipsum, parentes, & omnia sua diligit, qui quamuis licitus sit, nec à Deo prohibitus, vehementer tamen periculosus & lubricus est: quia natura nostra in sui quæsitioe admodum subtilis est, & creberrimè nos circumuenit, eoque perducit vt terminos concessos ordinati amoris transiliamus. In hoc amore probatus

tus

PARS PRIMA. **61**

tus fuit S. Patriarcha Abrahamus, quando iussus fuit à Deo filium suum occidere, sibi que in sacrificium immolare. *Tolle, ait Deus, filium tuum **Gen. 22.** unigenitum quem diligis Isaac, & offeres illum in holocaustum super unum montium quem dixerò tibi.*

Amor acquisitus est: qui inter homines, vel ex continua, & frequenti cōversatione, vel ex donis, & beneficijs acceptis enascitur; hic etiam non procul abest à graui periculo: Nam cum homo benefactori suo ingratus esse non debeat, in magno sæpè discrimine versatur, ne dum gratum ei animum exhibere conatur, Deum peccati alicuius admisione offendat, aut bonum aliquod, ne amico displiceat, omittat.

*III. Amor acquisitus.*

Hi sunt tres inordinati amoris gradus qui animam commaculant, ac proinde omni studio & diligētia eluendi sunt.

*Modus eluendi maculam inordinati amoris.*

PRIMVS amor non difficulter eluitur,

**C 7**

eluitur,

*Amor mundi quomodo tollatur.*

*Psal. 52.*

*1. Ioan. 5.*

*Amor naturalis ut tollatur.*

*Gal. 5.*

eluitur, si consideremus, quàm fallax, fraudulentus, totusque ex fraude & mendacio compositus sit mundus: quantorumque malorum nobis origo & causa sit: Etenim vt Prophetata ait. *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus spernit eos.* O comminationem terribilem, quæ sola nõ modò sufficiens esse posset nos à mundi huius amore abstrahere, verùm etiam efficere vt capitali eum odio infectaremur: hoc enim perinde est, ac si diceret: Omnes qui hominibus placere laborant, mundi que laudes ambiunt, in diuinis oculis execrabiles sunt, illosque Deus à se tanquam perditos, nauseamque sibi commouentes, repellit. *Totus mundus in maligno positus est:* ait S. Ioannes.

SECUNDVS amor facilè tollitur: si cogitemus quàm nobis aduersa atque inimica sit caro propria, quæ assiduò nobiscum bellum gerit, nostramque salutem omnibus modis impedire contendit. *Caro concupiscit aduersus spiritum, vt non quæcumque vultis illa faciat.*

AMO

PARS PRIMA. 63

Amorem autem parentum, cognatorumq; ac rerum nostrarum facile liberabimur: si pensemus, quanto nobis impedimento sint in via Dei, quod tantum est, ut IESVS Christus Dominus noster diceret non dubitauerit. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et alibi loquens de amore proprio, ait: *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam eternam custodit eam.*

Luc. 14.

Ioan. 12.

Ex quibus verbis perspicitur, quam nocuius sit amor parentum, & nostri ipsorum: ac proinde necessarium est, strenuam in huius amoris moderatione operam collocare: hunc namque amorem nosse iuxta recte rationis iudicium, bene temperare ac regere, ut diuino amori subiectus sit, præfixosque terminos non transgrediatur, præcipua, & excellentis virtutis est. Regula verò certissima, secundum quam amor hic

*quam sit nocuius amor naturalis. quomodo regendus sit amor naturalis.*

diri-

dirigendus, est hæc: Ut firmiter cum animo tuo stacuas, neminem profus hominum diligere nisi in Deo, & propter illa quæ in se habet de Deo: hoc est, propter virtutem & gratiam: Nec in vlllo homine quidpiam odisse præter vitium; sine vlllo personarum respectu, siue sit pater, siue mater, amicus, cognatus, vicinus, aut inimicus. Ita vt nullum habeas amicum adeò familiarem & intimum, in quo defectus diligas, cuius vitia palpes, aut cuius cõuersione immoderatiùs delecteris, nisi quatenus salutẽ ipsius spectat, aut bonum aliquod honestum vtriusque. Et econtrariò vt nullum habeas inimicum, adeò tibi exosum, vt in illo naturam aut virtutem odio prosequaris, aut salutem illius totis viribus, vti tuam, curare ac constituere, negligas.

*Regula qua cognoscitur quis amor naturalis sit nociuus.* Accipe deinde hanc tibi regulam certissimam, per quam cognoscere possis quando amor hic sit naturalis & nociuus: omnis amor qui cor inquietum & turbulentum efficit, sapius-



sapiusque tibi ad mentem orationis tempore recurrit, est amor inordinatus & naturalis, atque pro eius eradicatione summis tibi viribus depugnandam atque desudandum est.

TERTIVS amor acquisitus eliditur: si tecum expendas, omne bonum quod habes aut recipis ab hominibus, & amicis tuis, à Deo potissimum tibi provenire, qui tam ingenti te amore complectitur, ut omnes tibi etiam immerito & beneficiorum suorum immemori servire ac benefacere velit. Ac proinde da operam, ut erga amicos quidem gratum animum, ne ingratitude criminis incurras, exhibeas: primò tamen ac principaliter verissimo ac optimo amico tuo, nempe Deo, gratum te probare studeas.

*Amor acquisitus ut tollatur.*

*De negligentia & otio,  
Macula V.*

CAPVT VI.

**D** *V* M tempus habemus operemur bo. Gal. 6.  
num, ut Apostolus. Similiter &  
Chri-